



D A G O B E R T I R E G I S 131

monasterii Agaunensium (z) siue Sti Martini Turonensis psallere instituit, aliam medietatem matriculariis (a) ac seruatoribus ipsius & per hebdomadas ab episcopo sibi constitutas conuenire discendi gratia, vt aliqua pars in parochiis remaneat, ne populi & ecclesie Dei absque officio sint.

(z) monasterii Agaunensium siue Sti Martini Turonensis. ] *Aimoinus lib. IV c. XXXIII:* ordinem psallentium vt apud Sanctum Martinum Turonis, nec non apud Sanctum Mauritium Agaunis, & apud sanctum Germanum Parisiis agebatur, inibi instituit. *Agaunense igitur monasterium in honorem S. Mauricii institutum. Martinus vero Turonensis multa monasteria instituit, de quibus Gregorius Turonensis hist. lib. X c. XXXI ait:* in monasterio vero quod nunc Maius dicitur, Basilicam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli edificauit: in vicis quoque, id est Alingauensi, Solonacensi, Ambaciensi, Cisomagensi, Tornomagensi, Condurenfi destructis delubris baptizatisque gentibus, ecclesias edificauit.

(a) matriculariis ac seruatoribus ] *Dicebantur alias matricularii pauperes in matriculam relati, uti Glossa Isidori matricularium vocat pauperem inopem, & vita S. Arnulfi episcopi Metensis cap. XIV matricularii, seu ceteri pauperes. De quibus Charta Dagoberti apud Doubletum p. 669, 677. ad matricularios*